Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Nō tm

marcus ostendit. uerissime indicamus. magis fuisse dominum
necatricem linguam iudeorum quam militum manus. Quisquis
autem dixerit non fuisse horam terciam. cum hoc iudei pri
mitus clamauerunt. insanissime se ostendit inimicum euangelii.
nisi forte aliter potuerit eandem dissoluere questionem. Non enim
habet unde conuincat non fuisse tunc horam terciam. et
ideo uerdico euangeliste potius credendum est. quam contem
ptis suspitionibus hominum. Vnde inquit probas horam terciam fuisse.
Respondeo. Quia credo euangelistis. Quibus & tu si credis. osten
de quemadmodum & hora sexta & hora tercia potuerit
dominus crucifigi. De sexta enim ut fateamur narratione
iobis urgemur. terciam marcus commemorat. Quibus si uterque
nrm credit. ostende tu aliter. quae admodum fieri utrumque
potuerit. libentissime acquiescam. Non enim sententiam
meam si euangelii diligo ueritatem. Atque utinam etiam plu
res ab aliis inueniantur huius exitus questionis. Quod donec
fiat. utere mecum si placet isto. Si enim nullus alius exitus
potuerit inueniri. solus iste sufficiet. si autem potuerit
cum demonstratus fuerit. eligemus. Tantum non putes
consequens esse. ut quilibet omnium quatuor euangelistarum
mentitus sit. aut in tanto etiam sancto culmine
auctoritatis erruerit. Si autem quis dixerit inde
se conuincere non fuisse horam terciam cum illud iudei
clamauerunt. quia postea quam dicit idem marcus. pilatus
autem iterum respondens ait illis. quid igitur uultis faciam
regi iudeorum. at illi iterum clamauerunt. crucifige eum.
non interponit aliquid morarum ab eodem marco in eius
narratione. & continuo additur. ut traderetur
ad crucem dnis a pilato. quod iohannes hora quasi sexta

Nō tm

iii
asce